



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXXVI. Ioannis Papae VIII. Ad Petrvm Comitem. Missa per Paulum & Eugenium episcopos mense Aprili, die XVI. indictione XI. Hortatur vt Michaellem regem ad Romanae ecclesiae gremium reuocet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

super aliis detectus & conuictus excessibus, ab episcopo tunc suo depositus fuisse dinoscitur, & post indigne satis a Georgio, qui falso sibi episcopi nomen usurpat, ad episcopatum Belogradensem prouectus est, apostolorum principum, & sanctorum Canonum auctoritate, etiam nostri esse sententia decreti depositum: quod tam vobis quam  
Niczn. c. 5. vestra omnium generalitati canonice patefacimus; vt hi qui abiciuntur, ab aliis non recipiantur: ne, quod non optamus, simili cum eis poena iudicii teneantur astricti.  
 Data XVI. die mensis Aprilis, indictione XI.

## EPISTOLA LXXVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PETRVM COMITEM.

*Missæ per Paulum & Eugenium episcopos mense Aprili, die XVI. indictione XI.*

Hortatur vt Michaellem regem ad Romanæ ecclesiæ gremium reuocet.

*Petro comiti.*

**D**ILECTISSIMO filio nostro Michaeli Christianissimo regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus vt & tuæ quoque gloriæ scriberemus, & gemitus nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur, suspirantes & stupore nimio admirantes, quomodo ipse sapientissimus rex, & vos ipsi auerti potueritis, & a recta semita declinare, atque a sede beati Petri apostolorum summi recedere; cui, sicut euangelium refert, non caro & sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium reuelauit, cum alii hunc Ioannem, alii Eliam, alii Ieremiam, aut vnum de prophetis existimarent. Scribimus ergo tibi tamquam familiari & carissimo nobis; tu enim in hac causa primus ipsi regi præcursor & dux auctore Deo fuisti: tu inter illum & nos medius discurreisti, & Deo gratias, cuncta, quæ ad salutem gentis illius acta sunt, non sine tuo certamine acta sunt, & quot & quantos labores pro instructione vestri nos assumpserimus, ipse non nescis. Et bene quidem in nobis delectabamini, & spiritualibus gaudiis, & profectibus fruebamini: sed nescimus quis vos de cetero deceperit; quis organum factus diaboli, qui

Matth. 16.



olim per serpentem Euam seduxit, vos a recto itinere cal- Genes. 3.  
 lida suafione retraxerit: vnde non parum dolemus, nec le-  
 uiter anxiamur; & idcirco te, virorum optime, cohorta-  
 mur, loquere ad aures eiusdem dilecti filii nostri regis; cui  
 & Dominus ipse ad aures præcordiorum loquetur, vt pri-  
 mam fidem non faciat irritam, vt ante se gradiens, retro 1. Tim. 5.  
 nequaquam respiciat, viam qua ambulabat, non dese-  
 rat, euangelicam legat historiam, & videat ibi præcipue  
 foli Petro, aliis ista vel illa opinantibus, Christum Dei  
 viui Filium reuelatum, & singulariter dictum: *Ego pro te* Luc. 22.  
*rogavi Petre vt non deficiat fides tua.* Ergo si istis, vel illis falsa  
 putantibus, Petro veritas præcipue reuelata est: & si pro  
 fide Petri oratum singulariter est a Filio ne deficeret; con-  
 sideret sapiens rex quam laudabiliter primum fecerit Vr-  
 bem quærens, ad quam iste talis & tantus apostolus venit  
 & prædicauit; cui, Patre reuelante, veritas Filii patefa-  
 cta est, & cuius fides, quia Filius rogauit, non defecit. Ad  
 hanc quippe Romanam urbem post Antiochiæ, quam in  
 transitu visitauit, fundatam ecclesiam, tamquam ad mun-  
 di dominam properauit, & illic consequenter Filium Dei  
 viui, quem non carne vel sanguine, vt prædiximus, sed eo  
 reuelante, sicut veraciter cognouit, veraciter & prædica-  
 uit: super quam etiam solidam confessionis petram, suam  
 Dominus ecclesiam fabricauit: & hæc est petra illa, supra  
 quam, vt Salomon ait, serpentis non inuenitur vestigium.  
 Pro hac itaque purissima fide beatus Petrus Romæ mora-  
 tus, in hac stabiliuit ecclesiam, & sede apostolica diutius  
 gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit: sicque san-  
 ctam Romanam ecclesiam in hac fide fundatam proprio  
 sanguine cum Paulo, qui ab Ierusalem vsque ad Illyricam Rom. 15.  
 regionem scilicet, in qua nunc vos habitatis, euangelio re-  
 pleuit, Domino Deo consecrauit, & dedicauit; qua fide  
 tanto intra breue tempus Romani creuerunt & florue- Rom. 1.  
 runt, vt prælatus egregius Apostolus mox in principio e-  
 pistolarum suarum pro ea Deo gratias agere, & denun-  
 tiare præconia videatur. Hanc itaque fidem suggere sem-  
 per & suade, carissime, pio regi sitire: hanc non alibi præ-  
 cipue quærere nisi Romæ, vbi plantata est & radicata  
 a B. Petro, qui hanc vt supra ostendimus sicut veraci-  
 ter cognouit veraciter & prædicauit: quoniam sicut aqua

*Concil. Tom. 24.*

N ij



Fides Ro-  
manæ ec-  
clesiæ.

nunquam potest alibi tam munda, vel tam limpida, quem-  
admodum in fonte vnde originem protrahit, inueniri;  
ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel  
tam nitida reperiri, sicut in ecclesiæ nostræ viuario, vbi  
eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id est  
hæretica prauitas, comparatur; sed ille polorum clauiger  
vbertim & purissime congregauit, qui ex ipso fonte viuo  
hanc cælitus hausit, & limpidissimam conseruandam man-  
dauit. Hæc, carissime, pio regi loquere, & exhortare in  
Christo Iesu vt pro accepto & multiplicato familiaritatis  
talento in gaudium Domini nostri merearis intrare. Nos  
vero, si nos audieritis, quia vos tamquam fratres & filios  
summo amore diligimus, de lucro vestri gaudebimus, &  
superexultabimus: si autem, dicemus omni ecclesiæ, &  
sicut Dominus præcepit, vos tamquam ethnicos, & publi-  
canos habebimus: & tunc vos videritis, cum in varias er-  
rorum tentationes incideritis. Missa per Paulum, & Euge-  
nium reuerendissimos & sanctos episcopos. Data mense  
Aprili, die xvi. indictione xi.

Matth. 18.

## EPISTOLA LXXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MICHAELEM REGEM BVLGARORVM.

Eiusdem argumenti, suntque fere eadem verba  
quæ in superiore.

*Michaeli glorioso regi Bulgarum.*

Hæc episto-  
la non vi-  
detur Mi-  
chaeli scri-  
pta.

CHRISTIANISSIMO regi apostolatus nostri mitten-  
tes epistolam, dignum duximus vt & tuæ quoque  
gloriæ scriberemus, & gemitus ac dolores nostri cordis  
aperiremus, quos assidue patimur suspirantes, & tristes pe-  
nitus incedentes, & stupore nimio admirantes, quomodo  
ipse sapientissimus rex, & vos ipsi auerti potueritis, & a re-  
cta semita declinare, & a sede B. Petri apostolorum prin-  
cipis omnino recederè; cui, sicut euangelium refert, non  
caro & sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pa-  
ter Filium proprium reuelauit, cum alii hunc Ioannem,  
alii Eliam, alii Ieremiam, aut vnum ex prophetis existi-  
marent. Scribimus ergo tamquam fratri eius & carissimo

Matth. 16.